



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina  
Evangelica De Meditatione mortis**

**Kispenning, Henricus**

**Antverpiæ, 1583**

Sententia iij. Ephes. i. In Christo credentes signati estis Spiritu  
promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ &c. lxxxv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

## SENTENTIA III. 2. Cor. 1.

Qui autem confirmat nos in Christo, & qui unxit nos, Deus: qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

## PARACLESIS.

## CAPVT

LXXXIII.

Chryf. Ho  
mel. 3. in  
Epist. 2. ad  
Cor.

**M**ulta promittit Euangelium, de Resurrectione, deque Assumptione, & Immortalitate: de quibus ingentibus illis premiis, & bonis illis ineffabilibus. Haec igitur promissiones ait immobiles consistere. Ne quid igitur metuas: non enim homo est, ut tibi suspectus esse possit: sed Deus est, qui & dicit & praestat. Qui enim iam unxit nos, deditque Spiritum in cordibus nostris: qui consentaneum est, ut non det que restant in posterum? Et si hoc dedit, cum inimici essemus, multo magis illa reconciliatis & in amicitiam receptis largietur: eoque non simpliciter dixit Spiritum, sed pignus appellauit: ut ex hoc de ceteris omnibus fiduciam concipias. Non enim nisi totum daturus erat, voluisset arrabonem exhibere ac perdere: idque frustra ac sine causa. Signauit ergo nos Deus dando Spiritum suum nobis pignus, ut non ambigamus de promissis eius.

## SENTENTIA IIII. Ephes. 1.

In Christo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius.

## CAPVT

LXXXV.

Ambros. in  
Epist. ad  
Ephesios.

**L**aus gloriae Dei est, cum multi acquiruntur ad fidem: sicut gloriae medici est, si multos curet. Ideoque ad gloriam Dei pertinet, quia gentes vocauit, ut salutem suam me-

medelam consequerentur per fidem, Iudæis promissum  
 signum habentes redemptionis atque hereditatis  
 gratia, Spiritum sanctum datum post Baptismum.  
 Ob signati sunt & Israëlita: sed circuncisione, ut pecu-  
 nari. Ob signati sumus & nos: sed Spiritu, utpote filij. Chryf. ser. 2. in eandem Epist.  
 Qui autem verè de Spiritu Christi participat, optimum  
 illi hereditatis nostræ arrabonem esse sciunt. Talis erat  
 Paulus, qui & hinc ea quæ in caelis sunt gustauerat: at-  
 que ideo & festinabat, & ut presentia relinquere dare-  
 tur, anxie gemebat. Aliis siquidem oculis contemplaba-  
 tur: omnem ad cælestia & futura mentis aciem transfe-  
 rens. Quod si Spiritus sancti omnes, ut oportebat, con-  
 spicere essemus: & calos utique contemplaremur; & qui  
 illis est, cælestium statum. Arrabo cuius est? Redemptio-  
 nis & Acquisitionis. Tunc quippe pura & plena erit  
 redemptio. Nam nunc quidem & in mundo versamur:  
 & multa humana coincidunt. Pura verò redemptio,  
 tam est, quando neque peccata fuerint, neque affectus  
 terreni.

FRUCTVS TOTIVS VITÆ IESV  
 CHRISTI, AC DISPENSATIONIS SV-  
 per redemptioe generis humani. ex D. Bernardo.

Placet ne tibi Dñe Iesu, ut dones mihi Vitam tuam, **CAPVT**  
 sicut dedisti Conceptionem? quia non solum conce- **LXXXVI.**  
 ptio mea immunda; sed mors peruersa, vita periculosa. Bernard. ser. 2. de festo Pentecostes.  
 & post mortem restat mors grauior, mors secunda. Non  
 solum (ait) Conceptionem meam, sed & Vitam meam;  
 & hoc per singulos ætatum gradus, Infantia, Pueritia,  
 Adolescentia, Iuuentutis, tibi donabo: adiiciens Mor-  
 tem, Resurrectionem, Ascensionem, & missionem Spiri-  
 tus sancti. Hoc autem ideo, ut Conceptio mea emundet  
 tuam: Vita mea instruat tuam: Mors mea destruat  
 tuam.

T

tuam: